

SÆCULO III, CIRCA ANNUM CHRISTI CCIII.

ACTA

SS. PERPETUÆ ET FELICITATIS

MARTYRUM.

PROLEGOMENA

EX ACTIS MARTYRUM SINCERIS V. C. THEODORICI RUINART, PAG. 77, SQQ.

SYNOPSIS.

- I. De horum Actorum editis et mss.
- II. Perpetua et Felicitas an Tuburbitanæ?
- III. Non Tuburbii, sed Carthagine martyrium passæ noscuntur.
- IV. Tempus passionis inquiritur.
- V. De horum Actorum auctore, seu potius collectore. An Tertullianus?

- A VI. Non fuit Montanista : contra Valesium.
- VII. Exploditur iterum commentum de auctoris montanismo.
- VIII. De harum Martyrum cultu et memoria.
- IX. Ejusmodi Acta adversus Samuelem Basnagium a viro doctissimo dudum vindicata. Quanti facienda sint. Acta proconsularia deinceps omittenda.

I. MULTUM desiderata, et frustra in variis bibliothecis diu conquisita, Acta germanas sanctarum Perpetuæ et Felicitatis, invenit tandem studiosissimus sacræ antiquitatis indagator, Lucas Holstenius, in codice ms. sacri monasterii Casinensis : unde cruta et Romæ vulgata, eadem postea cum ejusdem Holstenii notis, Parisiis edidit Henricus Valesius. Nos vero ea proferrimus ex duobus codicibus mss. cum eadem editione collatis : quorum unus est Ecclesiæ Salisburgensis ; cujus codicis varias lectiones sapientissimi viri Antonii Faure, theologi Parisiensis et Remensis ecclesiæ præpositi, beneficio accepimus : alter vero qui ad annos 800 accedit, est bibliothecæ nostri monasterii sancti Cornelli Compendiense. Invenimus etiam in schedis Mabillonii nostri excerpta ex iisdem Actis non contemnenda ; sed e quo codice ea descripta sint, non indicatur. Porro in iis locis in quibus codices mss. inter sese vel ab editis dissident, et tamen utraque lectio ferri potest, varietatem in notulis apposuimus, ne temere in tam pretioso Ecclesiæ monumento aliquid immutasse videremur. Eadem etiam cautela usi sumus, si quando in mss. codicibus ubi eadem Acta vitata habentur, aliquid notatu dignum occurrit.

II. Tria inquirat eruditus Valesius in præfatione ad hæc Acta : primo, ubinam hæc mulieres sanctæ passæ sint ; secundo, quo tempore martyrium consummarint ; ac tandem quisnam horum Actorum auctor, seu potius collector fuerit : de quibus omnibus etiam heic paucis agendum est. Quod ad primum attinet, prius-

quam sincera harum martyrum Acta reperta fuissent, nemo fere in dubium revocabat quin eadem ipsæ fuerint quas sub *Sanctarum Tuburbitanarum* nomine varii auctores celebrabant. Id persuadebat, præter quorundam, etiam veterum, martyrologiorum auctoritatem, Acta quæ sub Perpetuæ et Felicitatis nomine circumferebantur, in quibus eas Tuburbii passas fuisse disertis verbis expressum erat : et quamvis in his Actis nonnulla viris eruditus vitiosa ac depravata viderentur, nullus tamen de loco martyrii hactenus quæstionem moverat. Verum, quum Holstenianæ editionis occasione res exactius discuteretur, aliter viris doctioribus visum est, ac præ cæteris Henrico Valesio ; qui, libratæ quæ ex utraque parte afferri poterant momenti, has martyres, non Tuburbii, sed Carthagine martyrium consummasse asseveranter pronuntiavit. Hanc sententiam probat V. C. tum ex ipsis Actis, tum etiam ex antiquorum scriptorum auctoritate. Ex Actis evincitur has martyres proconsulari potestate damnatas fuisse ; ac proinde, ut ait, non Tuburbii in Mauritania, quum in ea provincia nullum jus proconsules haberent. Verum, ut in nova editione Augustiniana observatum est, quum duplex fuerit Tuburbium in proconsulari provincia situm, atque in alterutra earum civitatum fortassis amphitheatrum esset, quumque ex iis una, *Tuburbium majus* dicebatur, parum valet ea Valesii ratio : nisi dicatur martyrologia fere omnia *Tuburbium in Mauritania* expressisse.

III. Certius est argumentum quod ex auctoritate veterum qui de sanctis Perpetua et Felicitate scripserunt, deducitur. Nam, præterquam quod Victor Vitensis eas « Carthagine in basilica majori sepultæ fuisse » affirmat (1), Prosper in *Chronico Labbæano*, Beda in libro *de sex Aetibus Mundi*, immo et in *Martyrologio sincero* (quamvis illud quod sub ejus nomine circumfertur, aliter habeat), Regino, Rabanus in *Martyrologio*, aliaque bene multa martyrologia, cum edita tum mss., ut videre est apud Bollandianos ad diem vii martii, expressis verbis has sanctas martyres apud Carthaginem passas fuisse asserunt. Nec reponere juvat ab Augustino in Sermone xxxii, a Sirmundo edito, qui est novæ editionis cæcxlvi, has martyres *Tuburbitanas* appellari: nam in codice ms. ex quo desumptus est iste sermo, non *Tuburbitanarum*, ut correxit Sirmundus, sed *Suburbitarum* legitur. Diceret forte aliquis eas *Suburbitanas* fuisse dictas, quod in suburbio Carthaginis passæ fuissent. Sed, etsi detur hunc locum recte a Sirmundo emendatum fuisse, nihil inde contra Valesii sententiam deduci potest. Fatetur quidem de Tuburbitanis martyribus heic Augustinum agere; at negat plane eas esse Perpetuam et Felicitatem: de quibus alias sæpe agens Augustinus, numquam eas Tuburbitanas, sed proprio semper nomine *Perpetuam et Felicitatem* appellavit. Contendit vero vir eruditus *Tuburbitanarum* nomine heic a sancto Augustino Maximam, Donatillam ac Secundam designatas fuisse, quæ quidem Tuburbii sub Valeriano et Gallieno imperatoribus passæ dicuntur. Et quidem id Valesii responsum confirmari posset ex vetusto calendario Carthaginensi apud Mabilonium, ubi sanctarum Tuburbitanarum festum recolitur in kalendas augusti: quo die nusquam Perpetua et Felicitas; Maxima vero et sociæ in omnibus martyrologiis mortem obiisse referuntur.

IV. Diu non immorabimur in assignando tempore quo istæ beatæ martyres passionem consummarunt. Acta et martyrologia quæ eas sub Valeriano et Gallieno passas fuisse referunt, vel ex eo convincuntur falsi, quod Tertullianus qui in libro *de Anima*, Perpetuæ meminit, diu ante horum imperatorum tempus e vita excesserit. Melius itaque in Martyrologio genuino Bedæ aliisque antiquis, id martyrium ad Severi imperatoris tempus revocatur: quibus Acta sineera consentiunt; siquidem ibi (2) sanctæ martyres *die natali Getæ Cæsaris* bestiiis objectæ sunt: quod anno Christi ccii aut sequenti, idibus martii, contigisse existimamus.

D. THEOD. RUNAERT.

V. Inquirendum tandem quisnam fuerit horum Actorum auctor, seu potius collector, quum eorum maximam partem a Perpetua et Saturō scriptam fuisse nemo inficari possit. Id opus Tertulliano attribuit auctor epistolæ Biturigibus scriptæ ad Henricum Valesium: quod ut probaret; collatis multis Actorum locis cum aliis Tertulliani operibus, ostendit eundem

(1) Vict. Vit., *de Persecut. Vandal.*, lib. 1, cap. iii, pag. 5, edit. Paris. 1694.

(2) *Acta Passion.*, etc. cap. 16.

A omnino stylum, easdem loquendi formulas, ac etiam sæpius eadem verba in utrisque reperiri. An vero rem omnino evincat, alii judicabunt.

VI. At Valesio assentiri non possum, hæc Acta a Montani sectatore, quisquis ille fuerit, collecta fuisse existimanti. Id tamen certissimis indicibus colligere sibi videtur vir eruditissimus. Quæ quidem indicia hæc sunt, quod auctor Hæc novas prophetias recipere se profiteatur, et eas Veteris Testamenti prophetiis longe anteponat. Id probat ex collectoris ipsius verbis, qui sic in præfatione loquitur: « Itaque et nos qui sicut prophetias ita et visiones novas, pariter repromissas, et agnosimus et honoramus. » Et paulo ante dixerat: « Sed viderint qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro actibus judicent temporum, quum majora reputanda sint noviora quæque et novissimiora. » Verum, etsi hæc verba primo aspectu Montani errores sapere videantur, si tamen paulo accuratius dispiciantur, nihil in ipsis contineri nisi orthodoxum et fidei catholicæ plane consonum reperies. Non enim iste auctor visiones novissimas cum Scripturis canonicis, ut putavit Valesius, sed solummodo cum veterum martyrum visionibus et revelationibus comparat; asseritque non minori veneratione habendas esse quæ suo tempore, quam quæ priscis temporibus, id est primo aut secundo Ecclesiæ sæculo, contigerant: immo et aliquatenus has novas revelationes majori studio suscipiendas esse dicit, quum exempla eo efficaciora sint, quo magis præsentia: tum deinde quod hæc novissimæ visiones, quæ aliquando veteres futuræ erunt, aliqua auctoritate fulciendæ essent, ut a posteris crederentur. Id patet ex eadem ipsius auctoris tota præfatione, ubi ne unum quidem verbum de Scripturæ sacræ cum visionibus martyrum comparatione habetur: « Si vetera, inquit, fidei exempla... propterea in litteris sunt digesta ut lectione eorum, quasi repensitatione rerum, et Deus honoretur et homo confortetur, cur non et nova documenta æque utrique causæ convenientia et digerantur? etc. » Porro, etsi iste auctor harum martyrum visiones, ex iis quas Deus per Joelem repromiserat, existimaverit, non tamen inde consequitur quod eas Scripturis sacris æquipararit: sicut nec Ecclesia fidelium dicta vel scripta inter has Scripturas canonicas computavit, quamvis non dubitaret ab eo processisse a quo aliud dantur genera linguarum, alii prophetiæ, alii sermo sapientiæ, aliis alia dona, quæ laudato Joelis testimonio prænuntiata et promissa fuisse certum est.

VII. Sed, ne fortassis aliquos moveant auctoris præfationis verba, qui eas visiones quasi divinitus inspiratas laudat, ea de re audiendus est Augustinus, qui, licet expressis, ut aiunt, verbis has Perpetuæ visiones a canone Scripturarum excludat (3), eas tamen « divinas revelationes » appellat, atque a fidelibus religione honorandas asserit (4). « Exhortationes earum, » inquit (Perpetuæ et Felicitatis), « in divinis revelatio-

(3) Aug. lib. 1 *de Anim. et ejus origin. ad Renat.*, cap. 10, num. 12, et lib. iii, *ad Vincent.*, c. 9, n. 12.

(4) *Id.*, *Serm.* 1, nov. edit. 280, tom. v, pag. 1134.

ibus, triumphosque passionum cum legerentur, audivimus; eaque omnia verborum digesta et illustrata luminibus aure percepimus, mente spectavimus, religione honoravimus, charitate laudavimus. De iisdem visionibus pluribus aliis in locis agit Augustinus, quas in ecclesia publice lectas fuisse testatur (1). Sed tandem, ut uno verbo rem conficiam, qua ratione hæreticus et Montani sectator, ad communionem cum his feminis servandam suos adhortaretur, quas in catholicorum quos Psychicos vocabant, communione obfuisse sciebant? Nec id poterant ignorare ii ad quos hæc auctor scribebat, siquidem eos qui martyrio præsentibus fuerant, alloquitur: « Annuntiamus, inquit, vobis, fratres et filiioli, ut et vos qui interfuistis, rememoremini gloriæ Domini, etc. » Sed de his satis. Jam paucis de illis quæ in hærum martyrum laudes a variis auctoribus dicta sunt, agendum est (2).

VIII. Celebris semper fuit in Ecclesia, præsertim Africana, sanctarum Perpetuæ et Felicitatis memoria; in quarum die natali tres tractatus sanctum Augustinum habuisse testatur Possidius in *Indiculo*, qui in nova editione sunt Sermones cclxxx, cclxxxI et cclxxxII. Aliquamdiu hæsi an hos sermones integros hæc proferrem: at, quum in omnium fere manibus habeantur Augustini opera, visum est satis si, iis omissis, ea quæ ad Acta peculiariter referuntur, in notulis ad textum adnotarem. Pluribus aliis in locis de iisdem martyribus earumque sociis agit idem sanctus Doctor. « Fortissimæ Perpetuæ et commartyrum » meminuit Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 55, ut jam diximus. Omnia martyrologia earum festum ad diem VII martii referunt, qua die hætenus apud nos celebra-

tur. Memorantur præterea earum nomina in canone Missæ Romanæ, in vetustissimo Sacramentario Gallicano, quod edidit noster Mabillonius. Item in canone Missæ Sacramentarii Gregoriani, quamvis harum sanctarum festivitas inter alias ibi notatas non habeatur, quod fortassis ea tempore Quadragesimæ contingat. Abest etiam a vetustissimo kalendario Mabilloniano ecclesiæ Africanæ: sed, quum ex Augustino certum sit earum festivitatem ejus tempore celebratam fuisse, dicendum quod, si in eo *Tuburitanarum* nomine non designentur, kalendarium istud integrum non sit, in quo revera februarii dies duodecim ac martius et aprilis menses integri desiderantur. Quod autem earum festivitas etiam primis temporibus Romæ celebrata fuerit, patet ex missali Gelasii et ex antiquo martyrologio Bucheriano, ubi hæc habentur: « Nonis martii Perpetuæ et Felicitatis Africae. » Idem habent cætera martyrologia, cum vetera, tum recentiora. Celebrantur cum sociis in Menologio Græcorum Basilii imperatoris die II februarii. Harum reliquiæ tempore Vandalicæ persecutionis ex Africa Romam delatæ dicuntur, quas postmodum exinde Rodulfus Biturigensium archiepiscopus accepit sæculo IX, easque in monasteriis Doverensi et Bellilocensi, ab ipso conditis, deposuit. Certe hodieque monachi Benedictini, qui, destructa Dovera, Visionem migrarunt, se beatæ Perpetuæ reliquiâs habere gloriantur.

Sed jam ipsa Acta proferenda sunt: quæ quantum ex nostris codicibus emendatiora prodeant, quisque, si ea cum editis conferre voluerit, facile animadvertet. Id certe spernendum non est, quod *Saturnini* nomen et martyrium eorum ope restituerimus. Huc usque Cl. RUINARTIUS.

(1) Id. *Serm.* 287.

(2) Mabil. tom. I *Mus. Ital.*

PASSIO^a

SANCTARUM MARTYRUM

PERPETUÆ ET FELICITATIS.

(Acta sinc. Martyr. D. Ruinart, p. 77 sqq. Acta SS. Boll. Mart. III, 635. Galland. Bibl. Vett. PP. t. II, p. XXIII-174).

PRÆFATIO.

Si vetera fidei exempla, et Dei gratiam testificantia et ædificationem hominis operantia, propterea in *LECTIONES VARIANTES*:

^a *Passionis nomen retinemus, quod in his actis competere D Turbitana. Sed in eo cod. deest præfatio, sicut et in Compendiensi.*
probat Holstenius. In cod. Salisburg. additur in civitate

VARIORUM NOTÆ.

Passio SS. In ms. Casinensi nullus apparet titulus: ideoque hætenus curiosos scrutantium oculos elegantissimum hoc sacræ antiquitatis monumentum subterfugisse existimo. Ego Augustini auctoritate *Passionem* inscripsi; ita enim ipse vocat locis supra relatis in Psal. XLVII. et Serm. 5. prout sine dubio tunc in fronte multorum exemplarium hujus

Opusculi quæ passim exstabant, legebatur et solebant illic similia scripta sic inscribi, ut intelligimus ex martyrio S. Cypriani a Pontio Diacono descripto, et aliis id genus. Si quis tamen Græco nomine *Martyrium* appellare malit, habet in hac ipsa narratione unde conjecturam suam fulcire possit. HOLSTENIUS.

^a *LECTIONES VARIANTES* desumuntur ex edit. D. Rui-